



Constitueram quidem apud animum, disserere hoc loco de Exercitio Religionis tum publico, tum priuato, tum domestico, eiusdemque iure inter eos, quidiversa Sacra colunt, cum vero periculum rei facerem, mox animaduerti, me in materiam incidisse fertilitatis tantae, quae vix vno alteroue tam paucarum pagellarum Schediasmate, non dicam exhauriri, sed ne degustari quidem pro dignitate rei sane grauissimae queat. Mutauit ergo ex parte consilium, atque intra cancellos *Exercitii Religionis domestici* subsisto eo lubentius, quo magis me, vix hic loci aduentantem, per occupationes longe plurimas hinc inde distrahi in aprico est, quoque magis in eo totus quantus quantus sum, vt officium clementissime in me collatum suscipiam ocios, eoque rite defungar; id quod etiam excusationem, vt spero, facile mihi parabit apud aequos rerum arbitros, quod ne hoc quidem de Exercitio Religionis domestico pensum pertexuerim integrum.